



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Epistola Honorii II. De subjectione monasteriorum Resbacensis & Iotrensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

tandem nullus apparuit idoneus responsalis qui partem defenseret adversam, licet postmodum quidam simplex nuntius super hoc prædictorum Parisiensis Episcopi & Latiniacensis Abbatis litteras præsentasset, privilegium apostolicæ sedis Ecclesiæ Iotrensi concessum duximus innovandum, ita tamen ut per innovationem ipsius eidem Ecclesiæ nihil juris plus accrescat quam per privilegia prædecessorum nostrorum obtinuit, cum per hoc novum ei non concedere sed antiquum jus conservare velimus.

**EPISTOLA HONORII II. DE  
subjectione monasteriorum Reibacensis & Iotrensis.**

**H**onorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Butcardo Meldensi Episcopo ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum. In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, ex injuncto nobis officio fratres nostros Episcopos debemus diligere, & Ecclesiis sibi à Deo commissis suam debemus justitiam conservare. Proinde, carissime in Christo frater Butcarde Episcopo Meldensis Ecclesiæ, cujus à Deo tibi cura commissa est, salubriter statuimus ut omnes tam Clerici quam laici in villa Reibacensis & Iotrensi commorantes Meldensi Ecclesiæ jure parochiali subjaceant, & ea quæ de eis ad jus parochiale pertinent, tibi tuisque successoribus libera & illibata serventur. Decernimus etiam ut Abbas Reibacensis & Iotrensis Abbatissa canonicam tibi tuisque successoribus obedientiam persolvant. Benedictio quoque eorum, sicut per tuos antecessores hæcenus celebrata constiterit, sic per te tuosque successores deinceps exhibeatur. Promotiones etiam monachorum ad ecclesia-

sticos ordines per Meldensem administrantur Episcopum, si videlicet gratis eas sine pravitate voluerit exhibere & gratiam apostolicæ sedis habuerit. Si quis autem, quod absit, huic nostro decreto sciens contraire tentaverit, honoris & officij sui periculum patiat. nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Datum Laterani xvi. Kal. Maij.

**EPISTOLA ALEXANDRI III.  
qua confirmat superiores Honorij II. litteras.**

**A**lexander Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Stephano Meldensi Episcopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. In eminenti apostolicæ sedis specula &c. ut in illa Honorij usque. Proinde, carissime in Christo frater Stephane Meldensis Ecclesiæ, cujus à Deo tibi cura commissa est, salubriter providentes, ad exemplar sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri Honorij Papæ statuimus ut omnes tam clerici quam laici in villa Reibacensis & Iotrensi commorantes Meldensi Ecclesiæ jure parochiali subjaceant &c. ut in illa Honorij usque. Si quis autem contra hanc nostræ constitutionis paginam venire præsumserit, secundò tertiove commonitus nisi temeritatem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantibus autem hæc sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud supremum judicem gaudia æternæ pacis inveniant. Amen. *Data Turonis anno MCLXIII.*

FINIS LIBRI VNDECIMI.

